

Petrus de Vinea

*Ep. III 31 (Licet..., qui in
curia nostra moratus est...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 31 (Licet..., qui in
curia nostra moratus est...)*

1220/1266

Manuello et aliis fidelibus suis, ut non acquiescant inanibus uerbis cuiusdam infidelis sui.

1. Licet..., qui in curia nostra moratus est, non suis meritis sed fidei et seruitiorum uestrorum intuitu plenae benignitatis affectum nostra maiestas ostenderit, et per euidenciam operum nostri fauoris gratiam sibi essemus in antea liberaliter monstrare parati, quia tamen idem nuper insani consilii leuitate deductus, de curia nostra, nobis insciis et inuitis, inconsulte discessit. 2. Deuotionem uestram requirimus et hortamur attente, mandantes quatenus beneuolentiae nostrae fauorem, quem ad uos gerimus, friuolis suis processibus proponentes, si quid idem uobis contra beneuolentiam nostram temeraria fors oblocutione retulerit, deuotionis uestrae constantia, de qua stabili mente confidimus, suae relationi nullatenus acquiescat, sed de liberalitatis nostrae gratia, quam ad benemeritos libenter extendimus, certam fiduciam uolumus uos habere.